The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Paupertas g
cum fonte primo

Nichil grauius quam ut fratres nostros pauperiores superbo oculo despiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gracia iudicantes quia sunt inopes cum paupertas facilius Deo quam thesaurus acceptior.

Ambrosius super illud Psalmorum: Increpasti superbos.

Denique dominus, qui aliis donat, superbis resistit et tamquam congreditur his, qui se exaltant, sibique hoc certamen uindicat et, qui aliis conpatitur, adrogantes increpat, quia nihil grauius, quam ut fratres nostros pauperes superbo oculo despiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gratia iudicantes, quia sunt inopes, cum paupertas facilius sit deo quam thesaurus acceptior.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio Psalmi 118*, 3, 37 (CSEL 62, M. Petschenig ed., p.62, ll.4-10).